UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

X. Die Stadt Salzwedel

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-54909

Visual Library

X.

Stadt Salzwedel.

I. Die Markgrafen Johann und Otto treffen Bestimmungen über das neuerrichtete Kaufhaus und die Gewandschneider-Innung in Salzwedel, am 28. Mai 1233.

Johannes, Dei gracia Marchio Brandenburgensis, et Otto, frater ejus, universis in Saltwedele salutem et omne bonum. Acta presentis temporis deperire solent in futurum, nisi firmentur debito subsidio literarum. Ea propter notum facimus tam presentibus quam futuris, quod nos, habito consilio nostrorum hominum fidelium et prudentum, ad emendacionem civitatis nostre Saltwedel statuimus et statuendo mandamus, ut nullus in eadem civitate nostra inhabitantium pannum incidere presumat, nisi in domo communi et venali, nunc de novo ad communes usus constructa, pannum uendat et incidat, et etiam fraternitatem ghilde super hoc habeat et obseruet. Quod ut ratum et stabile perseueret, presentem paginam inde conscribi et sigilli nostri appensione iussimus communiri. Presentibus domino Hinrico de Stendal et Teghenardo, aduocato, et Burgensibus nostris de saltwedel, Gotberto, Hinrico de Alim, Bertoldo de Puteo (sode), Woltero Sartori, et Guntrammo, scriptore nostro, Canonico in Stendal. Actum anno Domini M°. CC°. XXXIII°., quinto Kalend. Junii.

Nach dem Originale des Salzwed. Archives XIV, 1.

II. Bischof Luder von Verden und die Markgrafen Johann und Otto stiften bei Salzwedel und Perwer das Hospital zum heiligen Geist, vor 1241.

Luderus, dei gratia Verdensis ecclesie Episcopus, uniuersis presentem paginam inspecturis salutem in eo, qui est salus omnium. I. et O., dei gratia Marchiones Brandenburgensis, omnibus presentem literam inspecturis notum esse volumus, quod nos ad honorem dei omnipotentis, ad dilecte quoque matris nostre et uxorum nostrarum petitionis instantiam, piis earum precibus superne vite accensi desiderio annuere cupientes, ad promotionem nichilominus Cappellani

noſtri dilecti domini Conradi, Archidiaconi de Oſterwolde, fundum ciuitati Soltwedele et Peruer adjacentem ad edificationem hoſpitalis ſpiritus ſancti et refectionem pauperum Chriſti liberum cum omni jure contulimus ac ipſam donationem ſtabilem perpetuo volumus permanere. Nos igitur conſiderata pia intentione nec non deuotione magnifica principum memoratorum, ut donatio, quam ſinceritas adimpleuit, pauperibus in predicto loco degentibus fiat quo ad temporale ſubſidium fructuoſa, ita ut temporalibus adjuti ſubſidiis ad eterna intendant facilius et adſpirent: Auctoritate a Deo nobis conceſſa donationes principum prefatorum priuilegio noſtro, ſicut pie et juſte facte ſunt, prememorato hoſpitali confirmamus ſub anathematis interminatione diſtricte inhibentes, ne quis jam dictum hoſpitale in poſſeſſionibus injuſte impediat vel impetat, ſicut diſtrictam eccleſiaſticam ſententiam velit et etiam examinis euitare.

Gercken's Diplomat. I, S. 279. 280.

Beckmann's Beſchreibung V, I, III, Sp. 76. 77.

III. Die Markgrafen Johann und Otto legen der Kirche und dem Hoſpital in Perwer das Recht bei, ſich einen Geiſtlichen zu erwählen, am 19. September 1241.

Johannes et Otto, Dei gratia Marchiones de brandenburg, omnibus hoc ſcriptum inſpicientibus ſalutem. Quoniam ea, que fiunt in tempore labenti, citius defluunt cum tempore, niſi lingua teſtium robur adhibeat aut ſcriptura. Hinc eſt, quod ad omnium peruenire uolumus notitiam, quod ad inſtantiam miſerabilium infirmorum et ad permiſſionem prepoſiti in ſaltwedele eccleſie in perwer conceſſimus libertatem, nec non predictis infirmis ibidem commorantibus, electionem ſacerdotis, qui in eis, que ad ſollicitudinem ipſorum ſpectant, tantum eiſdem prouideat in diuinis, jure parochiali predicto prepoſito ac ſucceſſoribus ſuis per omnia reſervato, ſi quem ſacerdotem habuerint, in noſtram tuitionem ac defenſionem recipientes. Sed ne hoc factum noſtrum a quoquam valeat in poſterum infringi, preſens ſcriptum ſigillorum noſtrorum munimine duximus roborandum. Datum ſaltwedele, anno gracie M°. CC°. XLI°., XIII°. Kalend. Octobris. Hiis interfuerunt honorabiles viri Tidericus, prepoſitus loci ejusdem, Albertus, Notarius, Johannes, plebanus de Oſterborch, Vlricus de Snetlinken, Hartmannus, Aduocatus, et alii quam plures.

Nach dem Originale des Salzw. Archives XL, 16.

IV. Biſchof Luder von Verden beſtätigt dem heil. Geiſt-Hoſpital in Perwer das Wahlrecht ſeines Seelſorgers, im Jahre 1242.

Luderuſ, Dei gratia Verdenſis Epiſcopus, omnibus hanc literam inſpecturis ſalutem in domino. Petierunt a nobis infirmi Eccleſie in perwer, ut facto et libertati, quam de conſenſu prepoſiti Thiderici de Saltwedele, circa eos fecerunt Johannes et Otto, marchioneſ

de Brandeburch, noſtrum dignaremur adhibere conſenſum, et per ſigillum noſtrum et literas confirmare. Cujus libertatis et ordinationis tenor hic eſt: Johannes et Otto etc. (Urk. No. III.) Nos autem piis ipſorum moti precibus ordinationem eandem ratam habenteſ, preſertim cum rationabiliter facta ſit, noſtrum adhibemus conſenſum, et per ſigillum noſtrum et preſenteſ literas confirmamus. Datum Luneburch, Anno gracie M°. CC°. XLII°. Pontificatus noſtri Anno vndecimo.

Nach dem Originale des Salzw. Archives XL, 17.

V. Die Markgrafen Johann und Otto verleihen der Neuſtadt Salzwedel die Rechte der Altſtadt gewiſſe Freijahre, einen Richter und vereigenen ihr die ihr von ihren Gründern überwieſenen Ländereien, am 2. Juli 1247.

In nomine ſancte et individue Trinitatis. Johannes et Otto, dei gracia Marchiones Brandeburgenſes, omnibus in perpetuum. Ea, que geruntur in tempore, pretereunt cum eodem, niſi aut uoce uiuaciſ teſtimonii uel ſcripti memorie commendentur, unde perpetue ſoliditatiſ obtinere valeant firmamentum. Nouerint igitur preſentes pariter et poſteri, preſentem paginam inſpecturi, quod noſ nove civitati noſtre in Saltwedele liberaliter concedimus et donamus omnia jura et conſtitutioneſ, que habet antiqua civitas, et huc uſque dinoſcitur habuiſſe, ita quod ipſa nova civitaſ eiſdem juribus gaudeat libere et quiete. Preterea ipſi ciuitati ita duximuſ indulgendum, quod Aduocatuſ noſter, quem ipſi ciuitati pro tempore ſtatuerimuſ, quando judicio preſidebit, ſecundum quod a Conſulibus eiuſdem ciuitatiſ ſententiatum fuerit, iudicabit, eaſdem ſententias omnimodis proſeqendo. Ad hec volumus, ut quicunque ad ipſam novam ciuitatem confluxerint, ruſtici teutonici ſive ſclaui, ſub nobis uel ſub quocunque manenteſ, coram judice ciuitatiſ eiuſdem aſtent judicio coram eo de hiis, quibus incuſati fuerint, reſponſuri. Eidem etiam ciuitati ad ſue fundationis ſupplementum octo annorum, a feſto beati Jacobi nunc uenturo, terminos indulſimuſ libertatiſ. Cujus libertatiſ tempore durante, ipſi ciuitati ſimiliter indulſimuſ, ut ſi quiſ ciuium ipſius aliquem hominem noſtrum, militem ſiue ſervum, duxerit incuſandum, ſi is, qui incuſanduſ fuerit, ad noſtram pro eo nolet accedere preſentiam reſponſuruſ, fidelem noſtrum aluericum de kerkow conſtituimus judicem ſuper eo, volenteſ, ut quiſque hominum noſtrorum coram ipſo reſpondeat, prout uice noſtra ſententiatum fuerit coram ipſo. Quod ſi ipſum aluericum de ſeculo decedere contigerit, in ſucceſſore hujus judicii ipſi ciuitati prouidebimus, prout nobiſ et ipſi ciuitati videbimus expedire. Inſuper quaſcunque areaſ ſiue prata, que incolis dicte ciuitatis a Helmwico de maleſtorp, et bernardo, fundatoribuſ ciuitatis, fuerint ratione hereditatiſ aſſignata, ea noſ eiſdem proprietatiſ titulo conferentes, rata omnimodiſ uolumus permanere. Conſtituimus preterea, ut dieſ fori, qui in antiqua ciuitate qualibet ſecunda feria conſueuit haberi, deinceps alterniſ hebdomadibus in utraque ciuitate habeatur, ita quod in ſecunda feria unius hebdomade in antiqua ciuitate forum modo debito obſervetur, et in ſubſequenti ſecunda feria in noua ciuitate fori confluentia habeatur, hunc ordinem perpetuo obſeruantes. Vt igitur hec noſtra donatio inuiolabiliſ obſeruetur et ne quiſ in poſterum ſuper eo materiam adinueniat cauillandi, preſentem paginam ſuper eo conſcribi juſſimuſ, ſigillorum noſtrorum appenſione firmiter communitam. Huius autem rei teſteſ ſunt fideleſ noſtri, Aluericuſ de Kerkow, Gerharduſ, Ludouicuſ et Fridericuſ, filii ipſiuſ, Fridericus de Bertekow,

Conraduſ de Oſterburg, Werneruſ de Arneborg, Walteruſ de Kunningeſmarke et alii quam pluref militef atque ſerui. Datum apud Warbelinum per manum Henrici, noſtre curie notarii, Anno Domini M° CC° XLVII° VI° Non. Julii, Indictione quinta.

Nach dem Originale des Salzw. Archives III, 12.

VI. Herzog Albrecht von Sachſen beſtimmt die Zollabgaben von dem Handelszuge zwiſchen Salzwedel einerſeits und Hamburg und Lübeck andererſeits, am 5. Januar 1248.

Albertus, dei gracia Dux Saxonie, Angarie et Weſtfalie, in perpetuum. Vt noſtre racionabiles ſub lubrico fluctuantis ſeculi actiones perpetua ſtabilitate firmentur, imputribili litterarum cuſtodie eas deputare ſolemus. Nouerint ergo uniuerſi preſencium inſpectores, quod ut ſtrata inter Saltwedele et Hamborch, et inter Lubeke et Saltwedele aſſiduo mercatorum tranſitu uiſitetur, omnibus hanc ſtratam frequentare volentibus talem dedimus libertatem, quod de integro compacto dentur quatuor ſolidi, de dimidio compacto duo ſolidi. Si autem minus fuerit de quolibet panno integro unus detur denarius. De Laſt cupri duo dentur ſolidi, de Laſt ſtagni duo ſolidi, de Laſt plumbi duo ſolidi. De integro compacto linei panni duo ſolidi, de dimidio unus ſolidus. Si minus forſitan habeatur, de quolibet centeſimo denarius unus detur. Item de Laſt pellium vaccarum ſiue armentorum dentur duo ſolidi, et de dimidia detur unus ſolidus. Si autem minus fuerit, de qualibet decade denarius unus detur. Item de Laſt pellium hircinarum dentur duo ſolidi. De vario autem, de cera, de agrinis pellibus et ouinis, de ficubus, et de quolibet diuerſorum genere ſpecierum, de talento, quod vulgariter Schippunt vocatur, dentur duo denarii. Preterea de talento mellis duo dabuntur denarii et de Salſmer totidem denarii perſoluentur. Inſuper de integro vaſe unguenti, cujusmodi et ſit unguentum, dentur duo ſolidi, et de dimidio vaſe ſolidus unus detur. Item de talento humuli duo denarii, de talento folii duo denarii, de talento fili lanei duo denarii, de talento lane duo denarii, de talento floccorum duo denarii. Item de ferro et calibe, de ollis, Caldariis et talibus conſimilibus de quolibet talento dabuntur duo denarii. Ceterum omnes, qui inter Saltwedele et Hamborch porrexerint, ſub hac forma tali gaudere volumus libertate, quod ſemper infra terminos noſtros conductus noſtri protectione fruantur, et eos nusquam alibi, ea que diſtincta ſunt in premiſſis in Louenborch ſemel in tranſitu dare oporteat, et ſimili modo ſemel in Hiddesacker teneantur ad idem. Si qui vero porrexerint inter Lubeke et Saltwedele predicta dabuntur ſemel in Hiddesacker, et in tranſitu ſemel ſimiliter Mölne dabunt, ſaluo jure thelonei noſtri, quod de nauigio Hiddeſacker, Lowenborch et Blekede nobis ſemper dari conſueuit. Omnes igitur qui predictos terminos noſtros tali modo voluerunt frequentare, illos tali jugiter gaudere volumus libertate. Actum anno ab incarnatione domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo octauo, IV. Nonas Januarii. Ne autem hoc factum noſtrum tam rationabile quam honeſtum, ulla valeat abolere vetuſtas, nulla poſſit calumnia diſturbare, paginam hanc teſtimonialem inde conſcribi fecimus et ſigilli noſtri munimine inſigniri. Hujus rei teſtes ſunt Johannes et Gerhardus, Comites Holſatie, Adolfus, Comes de Dannenberch, Luderus de Bluchere, Henricus de Barmeſtede, Nicolaus de Tubele et alii quam plures.

Gercken's Codex VII, 358 und in Beckmann's Beſchreib. V, I, III, Sp. 6 u. 7, Extract.

VII. Die Grafen von Danneberg überlassen dem Hospital des h. Geistes zu Salzwedel drei Hufen zu Rohrberg, welche die Markgräfin und mehrere Edelleute für das Hospital von einem ihrer Lehnsleute erkauft haben, am 24. Juni 1248.

In nomine patris et filii et spiritus sancti amen. Bernardus et Adolfus, dei gratia Comites de Dannenberghe, omnibus hoc scriptum visuris salutem in Christo. Nouerint hanc paginam visuri, quod nos de communi consilio heredum nostrorum et ad petitionem domini Gerberti de Bardeleue, castellani nostri, tres mansos in villa Rorberge, quos idem Gerbertus a nobis jure tenuit pheodali, cum omni integritate et justitia, sicut ipse antea possidebat, et quos Domina Marchioniſſa et Dominus Aluericus de Kerkoue et Dominus Erneſtus de Dannenberge et Dominus Arnoldus de Bodenſtede hospitali S. Spiritus apud Soltwedele comparauerunt a Gerberto jam sepius prenotato, memorato hospitali divine retributionis intuitu contulimus libere possidendos. Quod hoc ratum maneat et illesum hanc scribi fecimus litteram sigillorum nostrorum munimine roborari. Datum apud Dannenberghe, anno gracie M. CC. XLVIII. indictione septima, in die Iohannis Baptiste.

Aus Gercken's Cod. I, 38.

VIII. Der Cardinal und Legat Hugo ertheilt denen, die dem Hospitale zum heil. Geist in Salzwedel Unterstützungen gewähren, einen Ablaß von 40 Tagen, am 5. Januar 1252.

Vniuersis Christi fidelibus per Alamanniam constitutis, ad quos presentes litere peruenerint, frater Hugo, miseracione diuina TT. sancte Sabine presbyter Cardinalis, apostolice sedis legatus, salutem in Domino. Quoniam ut ayt apostolus omnes stabimus ante tribunal Christi, recepturi prout gessimus in corpore, siue bonum fuerit siue malum, oportet nos diem messionis extreme misericordie operibus preuenire ac eternorum intuitu seminare in terris, quod reddente domino cum multiplicato fructu recolligere valeamus in celis, firmam spem fiduciamque tenentes, quoniam qui parce seminat parce et metet et qui seminat in benedictionibus de benedictionibus et metet vitam eternam. Cum igitur sicut dilecti filii Nobiles viri Iohannes et Otto, Marchiones Brandeborgenses, nobis intimare curarunt, ad sustentationem pauperum et infirmorum ad hospitale sancti Spiritus in Soltwedel verdensis diocesis confluentium ipsius non suppetunt facultates, vniuersitatem vestram rogamus, monemus et hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus de bonis vobis a Deo collatis pias ad id elemosinas et grata eis caritatis subsidia erogetis, vt per subuentionem vestram dicti pauperes et infirmi valeant sustentari et vos per hec et alia bona, que Domino inspirante feceritis, ad eterne possitis felicitatis gaudia peruenire. Nos autem de omnipotentis Dei misericordia et beatorum petri et pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus vere penitentibus et confessis qui eis ad hoc manum porrexerint adiutricem Quadraginta dies de iniuncta sibi penitencia misericorditer relaxamus, presentes vero mitti per questua-

rios diſtricti prohibemus, eas ſi ſecus actum fuerit carere viribus decernentes. Datum Colonie, Nonis Ianuarii, pontificatus Domini Innocentii pape quarti Anno nono.

Aus Danneil's Kirchengeſchichte der Stadt Salzwedel S. 3.

IX. Biſchof Gerhard von Verden beſtätigt das Hoſpital zum heiligen Geiſt in Salzwedel, im Jahre 1252.

Gherardus, Dei gratia epiſcopus, Borchardus, Prepoſitus, Meynricus, Decanus, totumque Verdenſis eccleſie Capitulum omnibus hoc ſcriptum inſpecturis ſalutem in Domino. Quoniam ea, que geruntur in tempore, ſimul labuntur cum tempore, adhibenda eſt diſcretio et cautela, ut quod pium et dignum memoria agitur, oblivionis jactura precluſa occurrat notitie futurorum. Hinc eſt, quod notum eſſe cupimus tam preſentibus quam futuris, quod nos inſtitutionem et ordinationem hoſpitalis Sancti Spiritus, quod interjacet civitati Soltwedel et ville Perwere, a Domino Ottone, Marchioni Brandenburgenſi, pie et laudabiliter factam et de conſenſu et bona voluntate Domini Thiderici, Prepoſiti de Saltwedele, in una parochia ſitum eſt, favorabiliter approbatam, videlicet quod ipſe dictum hoſpitale cum omnibus ſuis attinentiis ab omni jure, quod ei in ipſo cedere poſſet in preſenti, ſive ſuis ſucceſſoribus in futuro, per omnia liberum reliquit, ſecundum quod etiam in literis ſuper hoc confectis tam Domini Marchionis, quam etiam ipſius prepoſiti evidenter et plenius videri poteſt et colligi, ratam habemus, cupientes ipſam obtinere robur perpetue firmitatis. Ad amputandum igitur omnem dubitationis ſcrupulum ſuper hoc facto tam laudabili et rationabili et ne aliquo caſu futuris quibuscunque temporibus ipſum hoſpitale et proviſores ejusdem in jure ſuo impediri contingat forſitan aut gravari, in hujus facti memoriam et conſenſus et ratihabitionis noſtre ſuper hoc accidentis evidentiam preſenti ſcripto ſigillorum noſtrorum appenſionibus roborato jam ſepe dictum hoſpitale et proviſores ipſius, qui pro parte fuerint, dignum duximus muniendos. Datum anno Domini Milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſecundo, pontificatus noſtri anno primo, in civitate Verdenſi.

Nach Lenz Br. Urk. II, 881.

X. Papſt Innocenz IV. giebt dem Hoſpital zum heiligen Geiſt in Salzwedel das Recht, bei einem allgemeinen Interdikt den Gottesdienſt bei verſchloſſenen Thüren halten zu können, am 5. Mai 1253.

Innocentius, epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Magiſtro et fratribus hoſpitalis ſancti Spiritus in Soltwedel Verdenſis dioceſis ſalutem. Solet annuere ſedes apoſtolica piis votis et honeſtis petentium partibus favorem benevolum impertiri. Eapropter dilectarum in Chriſto filiarum Mulierum Marchioniſſe Brandeborgenſis et nate ipſius Duciſſe de Brunswick per ſuas nobis literas pro vobis ſupplicantium ac veſtris precibus inclinati auctoritate vobis preſen-

tium indulgemus, ut generalis tempore interdicti liceat vobis in ecclesia vestra clausis ianuis interdictis et excommunicatis exclusis, non pulsatis campanis, submissa voce divina celebrare officia vel facere celebrari, dummodo causam non dederitis interdicto vel id vobis non contingat specialiter interdici. — — — Datum Asisii, tertio nonas Maii, Pontificatus nostri anno decimo.

Danneil's Kirchengeschichte der Stadt Salzwedel S. 3.

XI. Papst Alexander IV. bestätigt das Hospital zum heil. Geist in Salzwedel, am 11. Januar 1260.

Alexander, Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistro hospitalis sancti Spiritus apud Soltwedele ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse presidium, ne forte cujuslibet teneritatis morsus aut eos a preposito revocet, aut robur, quod absit, sacre religionis infringat. Ea propter dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et hospitale sancti spiritus apud Soltwedele Verdensis diocesis, in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus, Inprimis siquidem statuentes, ut ordo canonicus, qui secundum deum et beati Augustini regulam institutus in eodem hospitali esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascunque possessiones, quecunque bona idem hospitale in presentiarum juste aut canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis prestante deo poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum, in quo prefatum hospitale situm est, cum omnibus pertinentiis suis, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuagiis et pascuis, in busco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus; sane novalium vestrorum, que propriis manibus aut sumtibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percepit, siue de vestrorum animalium nutrimentis nullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat. Liceat quoque vobis clericos vel laycos liberos et absolutos e seculo fugientes ad conversionem recipere et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in monasterio vestro professionem fas sit, sine magistri sui licentia de eodem loco nisi arctioris religionis obtentu discedere, discedentem vero absque communi literarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale latum fuerit interdictum, liceat vobis clausis januis exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare, dummodo causam non dederitis interdicto. Crisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad ordines fuerint promovendi, a diocesano suscipietis episcopo, siquidem catholicus fuerit et gratiam et amorem sacrosancte Romane sedis habuerit, et ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Prohibemus insuper, ut infra fines parochie vestre nullus sine assensu diocesani episcopi et vestro capellam seu oratorium de novo construere audeat salvis privilegiis pontificum Romanorum. Ad hec novas et indebitas exactiones ab archiepiscopis, episcopis, archidiaconis seu decanis aliisque omnibus ecclesiasticis secularibusque personis a vobis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus,

ut eorum devotioni et extreme voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverunt, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, aut publice usurarii, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas preterea et possessiones ad jus ecclesiarum vestrarum spectantes, que a laycis detinentur, redimendi et legitime liberandi de manibus eorum et ad ecclesias, ad quas pertinent, revocandi libera sit vobis de nostra autoritate facultas. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci magistro, vel tuorum quolibet successore, nullus ibi qualibet suscepționis astutia seu violentia preponatur, nisi quem fratres cum consensu, vel fratrum major pars consilii sanioris, secundum Deum et beati Augustini regulam providerit eligendum. Paci quoque et tranquillitati vestre paterna imposterum sollicitudine providere volentes auctoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam vel furtum facere, ignem apponere sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere seu violentiam audeat exercere. Preterea omnes libertates et immunitates a predecessoribus nostris Romanis pontificibus hospitali vestro concessas nec non libertates et exemptiones secularium exactionum a regibus et principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti privilegio communimus. Decernimus igitur, ut nulli omnino hominum liceat, prefatum hospitale temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice autoritate et diocesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit potestatisque honorisque sui careat dignitate reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sanctissimo corpore et sanguine Dei et Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bone actionis percipiat et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniat. Amen. Datum Laterani, per manum magistri Jordani, sancte Romane ecclesie vicecancellarii et notarii, III. ydus Januarii, indictione III, incarnationis Anno MCCLX, pontificatus vero Domini Alexandri, pape quarti, Anno septimo.

Lenz Br. Urk. II, 883.

XII. Markgraf Otto beschenkt das Hospital zum heiligen Geist in Salzwedel mit einem Gute zu Kricheldorf, am 27. März 1263.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Nos Otto, Dei gratia Brandenburgensis Marchio, omnibus in perpetuum. Cum nos, qui in terrenis honoribus sumus constituti, varia prepediant negotia, ne ministeriis congruis vacare possimus, superest, ut de rebus caducis nobis comparemus amicos, quorum precibus adjuti mereamur eterne felicitatis habitaculum introire. Notum igitur facimus universis tam presentibus, quam presentium successoribus, quod ob pii favoris meritum utque in nobis cunctarum rerum conditor et creator dominus Jesus Christus sua bona multiplicet

et infundat, hoſpitali ſancti ſpiritus apud Saltwedele, adhibito etiam filiorum noſtrorum conſenſu, allodium in Crichelndorp, quod Henricus de Snegha a nobis in pheodo tenuit et poſſedit, cum omni jure et utilitate, qua dictum allodium actenus eſt poſſeſſum, in agris, pratis, paſcuis, ſilvis, viis et inviis, cultis pariter et incultis, cum aliis attinentiis univerſis contulimus proprietatis titulo perpetuo poſſidendum. Teſtes hujus ſunt Johannes de Roſſowe, Johannes de Crakowe, Henricus, prepoſitus in Soltwedele, Ghereco de Wuſtrowe, Bertoldus, coquinarius, et alii quam plures. Ut igitur collatio rationabiliter ſit peracta, per nos grata et rata ab omnibus obſervetur et ne ab aliquibus impoſterum frivolis infringi poſſit articulis aut aliquibus quibuscunque queſtionibus perturbari, dicto hoſpitali preſentes noſtras literas in evidens teſtimonium et robur validum duximus erogandas. Datum in Soltwedele, per manum Johannis, noſtri notarii. Anno Domini Milleſimo ducenteſimo ſexageſimo tertio, indictione VI, Sexto Kal. Aprilis.

Nach Lenz Br. Urk. II, 888.

XIII. Der Rath zu Lübeck notifizirt ſeinem Aldermann in Gotland, die Stadt Salzwedel zur Theilnahme an der Vereinigung in Wisby zugelaſſen zu haben, am 16. Juni 1263.

Honorabilibus viriſ et dilectis, Domino Aldermanno ciuitatiſ Lubycenſis conſtituto in Gotlandia et ceteriſ conciuibus ſuis ibidem exiſtentibus aut venientibus ac uniuerſis mercatoribus hanc literam inſpecturis, Aduocatus, Conſilium et Commune ciuitatis Lubycenſis ſalutem in Domino Jeſu Criſto. Vniuerſis ac ſingulis notum eſſe volumus, quod dilectioni et vtilitati amicorum noſtrorum de Saltwedele intendenteſ fideliter, ad petitionem et affectionem eorundem, in ſedilia et conſortia noſtra in ciuitate Wiſbuy recepimus ipſos, ipſiſ eam libertatem, iuſtitiam et legeſ frui concedenteſ, que noſtrateſ ibidem habent et hactenus habuerunt, volentes eisdem ſpecialibus amiciſ noſtriſ tanquam nobis perpetuo obſeruari. Vt autem hec donatio ipſiſ rata et firma permaneat, preſentem paginam inde conſcriptam confirmatamque ſigilli noſtri munimine ipſiſ contulimus in teſtimonium et in ſignum. Teſteſ vero hujus facti ſunt Conſules Lubycenſes Henricus Vorradus, Johanneſ de Bardewic, Magiſtri ciuium ipſo anno, Hildemarus, Johanneſ Campſor, Fromoldus de Viſhuſen, Heinricus de yſerlo, Altwinus de Domo, Altwinus niger, Rutherus, Henricus Albus et Bertrammus, Camerarii, Lodeuicus, Henricus Kuro, Engelbertuſ de Colonia, Petrus de Boizneburg, Tydemannus Wrot, Mako de Kaſfelde, Criſtianus de Kolco, Jacobus et Conſilium uniuerſum. Datum anno domini M°. CC°. LXIII°., Dominica ſecunda poſt Octauam Trinitatis.

Nach dem Originale des Salzw. Archives IX, 3.

XIV. Die Markgrafen Johann und Otto bestimmen die Tage für den Wochenmarkt der Neustadt Salzwedel, am 18. November 1267.

Nos Johannes et Otto, Dei gratia Brandenburgenſes Marchiones, Notum facimus per preſentes, quod diligenti conſilio prehabito volumus et mandamus, ut forum in antiqua civitate Saltwedel feria tertia obſervetur, ſecundum ordinationem, quam aliquando fecerat felicis memorie pater noſter, Adjecto, quod Burgenſes nove Civitatis in Saltwedel Dominica die, ſecunda feria ſeu tertia vel quarta ſuum forum non habeant ullo modo, Eligentes inter alios dies, quemcunque diem ad ſuum forum habendum voluerint et duxerint eligendum, Quod nos et noſtri fratres gratum gerimus et acceptum. Actum et Datum Anno Domini M°. CC°. LXVII°., XIV°. Kalend. Decembris. preſentibus hiis videlicet Domino B. de Barboy, Domino Luthero de Meynerſen, Geuehardo de Alvensleuen et Jagowe et aliis nonnullis.

Nach dem Orig. des Salzw. Archives VII, 15. Der Vorname des Zeugen Jagow iſt nicht genannt.

XV. Markgraf Otto nimmt im Beiſein ſeiner Mutter das heil. Geiſt-Kloſter zu Salzwedel in ſeinen Schutz und beſtätigt demſelben die von ſeinem Vater verliehene Abgabenfreiheit, am 31. Auguſt 1268.

Nos Otto, dei gracia Brandeburgenſis Marchio, notum eſſe cupimus uniuerſis, ad quos litere preſentes peruenerint, quod domum Hoſpitalis ſancti ſpiritus apud Soltwedele in noſtram protectionem accepimus et recipimus ſpecialem, Omnibus modis volentes ipſam fratrum domum illa perfrui gracia et libertate, quam pater noſter pie recolende memorie dinoſcitur contuliſſe. Inſuper et priuilegia, que ab ipſo jam dicte domui ſunt collata, ratificando confirmamus. Ad hec quicunque dictam domum aut aliquem ad eam pertinentem, ſiue bona eius indebite inuaderet, ſeu in aliquo moleſtaret, is erga nos excederet contra noſtram faciens grauiter voluntatem. Inſuper ad inſtar patris noſtri perdilecti hoc volumus, ut ſi contingat in terra noſtra petitionem vel exactionem fieri qualemcunque, memoratam domum ab hac liberam decernimus cum bonis ejus omnibus et exemtam. Hujus itaque donationis teſtes ſunt Domina Beatrix, mater noſtra perdilecta, et Conradus de Oſterborch, Olricus de Croge, Arnoldus de Jagouwe, Gerhardus Lupus, Bruningus de Redigeſtorp, Johannes, notarius noſter, nec non et alii quam plures. Datum Arneborch, anno domini M°. CC°. LXVIII., pridie Kal. Septembris.

Nach Gercken Cod. VIII, 440 und Lenz II, 890.

XVI. Markgraf Otto beschenkt das Hospital zu St. Georg in Salzwedel mit Besitzungen in Riebow, Mechow und Thüritz, am 19. Dezember 1268.

Vniuersis presentem paginam visuris, Otto, Dei gratia Marchio Brandenburgensis, perpetuam in domino salutem. Noverint universi tam presentes quam futuri, quod nos domui leprosorum in Saltwedele donamus quatuor mansos cum omni jurisdictione ac proprietate perpetua in Ribowe, duos mansos in mechowe et duos mansos in turiz, sub eadem forma et proprietate perpetuo possidendos. Vt autem dicti nostri de bonis superius nominatis suum commodum utilius et consilliosius disponatur, ipsa bona committimus procurationi concilii veteris civitatis Saltwedele perpetualiter, vt sicut dictum est, qui ejusdem civitatis fovent concilium, de bonis sepe dictis commodum infirmorum ordinent ac disponant. Datum Saltwedele, anno domini M°. CC°. LXVIII°., XIIII. Kalend. ianuarii.

Nach dem Originale im Salzw. Archive XXXIX, 1.

XVII. Die Markgrafen Otto und Albert erneuen, reformiren und vervollständigen der Stadt Salzwedel ihr Stadtrecht, am 16. März 1273.

In nomine sancte et individue trinitatis. Varietas temporum, multitudo tractatuum adeo mortalium infirmat memoriam, quod necesse est ut adiuuentur uocibus testium ac testimonio litterarum ad hoc, ut acta ipsorum robur alicuius accipiant firmitatis. Hinc est igitur, quod nos Otto et Albertus, dei gracia Marchiones Brandenburgenses, uolentes jura ciuitatis nostre Saltwedele secundum quod eidem Ciuitati et Ciuibus a nostris progenitoribus sunt tradita confirmare, quedam etiam secundum nostrorum fidelium ac ciuium eiusdem ciuitatis consilium in melius reformare, quedam etiam ipsis de nouo tradere, notum facimus uniuersis tam presentibus quam futuris, quod hec jura liberaliter ciuibus ante dicte ciuitatis damus et concedimus perpetuo, secundum quod in subsequentibus continetur. Quicunque voluerit ciuis esse in Saltwedele, libere intrabit et veniet ac recedet, sine grauamine quolibet et impedimento. Item quicunque hereditatem in Saltwedele emerit et anno et die in ea rationabiliter manserit et heredes illius hereditatis sint in terra, pocius obtinebit possidens, quam aliquis alienus conquerens siue heres. Quicunque suo creditori pro debitis in iudicio presentatur, ad tria iudicia representabitur, post tertium vero judicium Creditor de presentato secundum iustitiam ordinet, quod sibi magis visum fuerit expedire, quod si presentatus effugerit, quia creditor presentatum sibi non representauit, judici tres solidos vadiabit ipse uero pignus suum insequi poterit et vbicumque repertum fuerit, detinere. Item nullus extraneus, qui extra terras nostras ac patruelium nostrorum moratur, potest convincere Burgensem in Saltwedele, nisi habeat testes in ciuitate manentes et hos ciues. Sed si aliquis ciuium in Saltwedele incusatur ab aliquo, qui in terris nostris aut patruelium nostrorum moratur, secundum quod ipse accusatur, ita se defendet, hoc est, si cum testibus de Ciuitate incusatur cum testibus de Ciuitate, si cum extraneis testibus, cum extraneis se defendet. Si uero aliquis de terris nostris, qui non est ciuis Saltwedelensis, accusatur ab aliquo ciue Saltwedelensi cum testibus, incusatus po-

terit ſe defendere cum teſtibus, vndecumque ſint, dummodo ſint homines fide digni. Item ſi quis Burgenſis alium Burgenſem cum teſtimonio alloquitur, incuſatus cum ciuium ſuorum et non aliorum teſtimonio ſe defendet. De hiis, que vulgo Rade dicuntur, taliter procedetur, ſicut ſemina in diebus ſolempnitatum incedit, hec habeat, cuicumque de iure cedunt, vbicumque ſit manens, nec eum ulle res alie ſubſequentur. De hiis, que Herwede dicuntur, talis ſit proceſſus, ſicut vir cum armis ſuam deſiderat tueri uitam cum ſuis melioribus veſtibus, hec habeat, cuicumque de iure cedunt, vbicumque etiam ſit manens. Si autem filie ſunt in edibus, optinent id, quod dicitur Herewede, ſimiliter filii optinent Rade mortuis parentibus ſeu defunctis. Item quicumque aliquorum hominum bona mutuo receperit, uel pro aliis fidejuſſerit et contingat eum mori, vidua ſua et heres, ea que promiſerat, dummodo notum ſit conſulibus, exſoluere tenebuntur. Item quicumque bona ſua alicui mutuo dederit infra muros Saltwedelenſes, licenter eum detineat infra muros cum nuntio judicis et ciuitatis, vbi bona ſua mutuo dedit ei, donec debita perſolvat, uel ab eo ſecundum iuſtitiam abſoluatur. Milites uero et famuli noſtri armigeri coram nobis ſolummodo ſtabunt iuri. Sed ſi ipſi proprio motu et uoluntate ab aliquo Burgenſi non coram nobis ſed coram judice ciuitatis ſuper hiis, de quibus mouent querimoniam, uolunt juſtitiam conſequi, eidem coram eodem judice ſtatim reſpondeant accuſati. Item quicumque deprehenſus fuerit in eo delicto, quod Wanmate dicitur, et in menſuris ſecundum ſtatutum et conſuetudinem ciuitatis ſe non tenuerit, ſed infregerit, tres marcas denariorum Ciuitati dabit. Item quicumque Conſulem ciuitatis in ciuitatis ſeruitio exiſtentem verbis male tractauerit, dare tres marcas denariorum tenebitur ciuitati, dummodo notorium fuerit aliis conſulibus ciuitatis. Item ſi pater et mater cum ſua uoluntate et pueri, eundem puerum in ſede matrimoniali legitime locauerint, idem puer contentus eſſe debet in rebus, quibus deſponſatur, et ſi pater uel mater moritur, ad heredes reliquos non redibit, exceptis bonis feodalibus, in quibus filii jus habebunt. Si uero omnes alii heredes moriuntur, in hereditatem redeat primus heres. Item ſi pater et mater omnes pueros ſuos legitime locauerint, antequam moriantur, et poſtmodum unum ipſorum patrem vel matrem mori contigerit, pater uel mater ſuperſtes de bonis ſuis ordinabit et faciet que voluerit, pueris ſuis nolentibus immo non ualentibus prohibere. Ceterum ſi pater ſuperſtes fuerit et aliam vxorem legitimam ducere noluerit, hoc pueri prohibere aut defendere non ualebunt. Poſito etiam, quod pater ſepe dictus pueros habeat de vxore legitima ſecundo ducta, hii pueri poſt mortem patris eorum ipſius hereditatem obtinebunt, pueris ſuis prioribus in ea hereditate partem non habentibus, ſed excluſis. Si autem heredes de ſecunda vxore non habuerit, primi pueri dimidietatem bonorum, que in extremis vite ſue reliquerit, optinebunt. Quicquid de patre ſententiatum eſt, de matre ratum et firmum ſimiliter teneatur. Item ſi pater uel mater habeat pueros, quos legitime non locauit, et aliquis ex his pueris moriatur, hic hereditabit in radicem et ſtirpem priſtinam et priorem; Si autem radix et ſtirps mortua fuerit, puer mortuus hereditabit ſuper proximos et primos conſanguineos, qui neſten Gedelinge uulgariter nuncupantur. Item ſi duobus legitimis viro videlicet aut muliere unum mori contigerit et heredes hereditatemque reliquerit, hanc hereditatem ſuperſtites uendere non ualebunt, nec quicquam ordinare poterunt de eadem, niſi fuerit de communi eorum conſenſu et unanimi uoluntate, uerumptamen ſi neceſſitas vite ipſis incumberet, unusquisque ſuperſtitum ad hereditatem pertinentium ſuam partem vendere ualebit ad neceſſitatem ſuam et vite inopiam ſubleuandam. Item quicumque incuſaverit alium cum teſtibus et non habuerit teſtes, pro tribus viris, id eſt, ſi defectum in aliquo teſtium patitur, pro quolibet tres ſolidos vadiabit. Item omnis, cui iudicia in antiqua ciuitate Saltwedelenſi commiſſa fuerint, et qui iudicio preſidebit, ſuper aliquo Burgenſi eiusdem ciuitatis iudicaturus, hic ueniet ante lobium iuxta

locum, qui Cruce brucke dicitur, ibique et non alibi iudicabitur. Item nullus Burgenſis de ciuitate Saltwedelenſi debet in ea detineri, niſi ſecundum iuſtitiam detineatur. Si autem detentus fuerit et hereditas ſua melior et pretioſior quam emenda ſuorum exceſſuum fuerit, ſe per ſuam hereditatem poterit mutuare. Ceterum ſi aliquis ad aures percuſſus fuerit, et hic, qui percuſſus eſt, ſuum leſorem duobus viris probis et honeſtis convincere potuerit, leſor ſub hac forma emendabit iudici octo ſolidos, percuſſo octo ſolidos et ciuitati quatuor ſolidos dabit. Ceterum ſi aliquis cum baculis, ſiue armis, que wlgo Eckewapen dicuntur, percuſſus fuerit, baculatusque hoc tribus probis viris et honeſtis comprobare ac teſtificari ualuerit, leſores ſiue percuſſores ſic emendabunt, quilibet percuſſor dabit iudici unum talentum, percuſſo unum talentum, decem ſolidos ciuitati. Item nullus in die fori debet in foro Saltwedele aliquid emere, niſi fuerit in ea Burgenſis. Item ſi profugus in alicuius venerit manſionem, ab ea non excipietur, niſi ſententiis et iudicio mediante: ſi etiam hoſpes domus iudici manſionem ſuam non defenderit, bonis hominibus ſcientibus, hoſpes innocens erit, ſi profugus euaſerit. Item ſi aliquis cum armis, que wlgo Eckewapen dicuntur, uulneratus fuerit, nec leſus in eodem loco moritur, leſorem ſuum ad trinum iudicium perſequetur, et poſt tercium placitum teneri debet per quatuordecim dies, et illis finitis, ſi ſaucius moritur, uel ſi membro principali truncatus fuerit, uidelicet oculo, naſu, auribus, Crure, pede, brachio aut manu, leſor pro collo ſuo reſpondeat. Porro ſi leſus infra iam dictum tempus quatuordecim dierum conualuerit et leſor de uulnere convictus fuerit per tres probos viros in ciuitate manentes, manum ſuam dare tenebitur pro emenda, ſed ſi manum redimere voluerit, viginti talenta dabit, iudici octo, leſo octo, quatuor ciuitati. Item ſi aliquis homicida pro homicidio profugus factus fuerit, quod fecit, contra ipſum ad trinum iudicium procedetur, et in tertio placito proſcribi debet, nec aliquis debet mulierem legitimam, uel pueros uel iuſtos heredes viri profugi in bonis, que reliquit profugus, impedire, ſed iudex de hoc certitudinem recipiet, quod mulier et pueri de ſuis bonis profugo, quam diu profugus eſt, nihil mittant, nec quicquam de bonis illis etiam alienent. Verum ſi profugus terram et locum recuperare voluerit, nec pueri, nec heredes ipſum in bonis ſuis poterunt impedire. Quicumque pro aliqua ſupra dictarum cauſarum ſe proſcribi paſſus fuerit, terram recuperare non poterit, niſi iudici prius ſatisfaciat atque leſo. Item ſi aliquis homo bone fame pro homicidio accuſaretur et notorium fuerit bonis hominibus ac fide dignis in ciuitate manentibus, quod non ſit reus interfectionis, iuſtius cum iuramento ſuo ipſe tercius, dummodo ſint fide digni, ſe defendet, quam ab aliquo ualeat ſuperari: accuſatus autem pro homicidio cum Burgenſibus in ciuitate manentibus ſe defendet. Item omnes, qui in ciuitate Saltwedele hereditates habent, uel adhuc emerint, de quibus ſecundum iura ciuitatis vigilie et exactiones, que ſchot wlgariter dicuntur, uſque ad preſens habite ſunt, volumus ut deinceps ſine contradictione qualibet de ipſis ſic faciant, ſecundum quod actenus facere conſueuerunt. Item ſentencie coram iudicio inueniantur, ſecundum quod actenus eſt conſuetum. Et ſi aliquis leuitatis ſue cauſa iuſtas ſententias contra iuſticiam increparet, uel manifeſte iniuſtas ſententias inueniret, quatuor ſolidos iudici vadiabit; iniuſtas autem ſententias dicimus, quas iniuſtas eſſe pronunciant communiter Conſules ciuitatis. Si aliquis in furto comprehenditur et furtum minus ualeat quatuor ſolidis, in tormento, quod ſtupe uocatur teutonice, ferietur; ſi uero quatuor ſolidos excedit, pro collo ſuo reſpondeat fur, ſi fuerit deprehenſus. Vt autem hec noſtra conceſſio ſeu donatio per nos fratremque noſtrum Ottonem juniorem, adhuc minorem annis, noſtrosque heredes firma permaneat ac perpetuo inconuulſa, hanc paginam inde conſcribi fecimus ac ſigillorum noſtrorum munimine roborari. Teſtes uero huius noſtre donacionis, qui hiis interfuerunt, ſunt hii: Geuehardus de Aluensleue ſenior, Hinricus, pincerna de Donſtede, Hinricus de

Wdensvegen, Hinricus de Heydbrac, Arnoldus de Jagowe, Nicolaus de Wtenowe, milites ac fideles noſtri, Geuehardus, prepoſitus de Saltwedele, Olricus de Konnigesmarke, miles, Bertoldus, notarius, Bertoldus, advocatus in Saltwedele, de conſilio Civitatis Saltwedele Helmich de Puteo, Thidericus de Snege et alii quam plures. Fuerunt autem hoc tempore Conſules Civitatis Saltwedele Criſtianus miles, Johannes de Mechowe, Gherehardus Otberti filius, Johannes de Berghe, Johannes de witinghe, Ditmarus de vlſen, Bertrammus de Blutmic, Thidericus Cruceman, arnoldus de kalene, Johannes Svederi filius. Datum et actum Plawe, Anno Domini M°. CC°. LXXIII°., Septimo decimo kal. Aprilis.

Nach dem Originale des Salzw. Archives VII, 16.

XVIII. Die Markgrafen Otto und Albrecht beſtätigen und ergänzen das der Stadt Salzwedel am 16. März 1273 verliehene Stadtrecht, am 5. Februar 1278.

In nomine Sancte et indiuidue trinitatis. Varietas temporum, multitudo tractatuum memorias hominum infirmant et ea que fiunt in tempore cum lapſu temporis a recordatione labuntur, niſi litteris teſtimonialibus committantur. Hinc eſt igitur, quod nos Otto et Albertus, Dei gratia Marchiones Brandenburgenſes, volentes jura noſtre Ciuitatis Saltwedel ſolidare, quedam et ipſis de nouo tradere, ad ejusdem ciuitatis utilitatem pariter et profectum, Notum facimus uniuerſis tam preſentibus quam futuris, quod hec jura liberaliter ciuibus antedicte ciuitatis damus et concedimus perpetuo, ſecundum quod in ſubſequentibus continetur. Si quis in aquam precipitatus fuerit, et precipitatus hoc tribus burgenſibus in ciuitate manentibus fide dignis probare poterit, Reus pro hoc facto manum ſuam vadiabit, quam ſi redimere uoluerit, pro ea dabit uiginti talenta, octo judici, leſo octo, quatuor ciuitati. Item ſi uir uiduus, habens pueros legitimos, uxorem ſecundo duxerit, et apud illam ſine pueris moriatur, omnium bonorum ſuorum mobilium medietas cedet ſue uxori, reliquam vero medietatem mobilium bonorum pueri ipſius viri defuncti optinebunt, Exceptis ſtantibus hereditatibus, que pueris inmortue ſunt. In illis enim mulier nichil penitus optinebit. Quodſi vir hujusmodi, de quo dictum eſt, cum uxore ſua, quam ſecundo duxit, pueros genuerit, tam priores, quam poſteriores pueri poſt mortem viri tam bona mobilia, quam ſtantes hereditates diuident ſecundum juſtitiam ciuitatis. Quicquid autem de viro viduo, id idem de muliere uidua uice uerſa ſtatuimus obſeruandum. Item ſi judex et Conſules alicui, qui ſuam querimoniam juſte proſequtus eſt, debent pignus preſentare, ſi quis hoc pignus Judici et Conſulibus defenderit, quinque talenta vadiabit, judici quatuor, Civitati unum, Inſuper conquerenti judex plenam juſtitiam fieri ordinabit. Item uir in egritudine ſua dare poterit de rebus ſuis, quantum ſibi placet, quamdiu ualet manu propria unam marcam in ſtatera poſitam, juſte atque rationabiliter trutinare, uerumptamen mulieribus habentibus legitimos uiros, de bonis ſuis dandis ſiue ordinandis in egritudine ſua, nullam permittimus poteſtatem. Item ſi aliquis homo, uel res ſiue poſſeſſio alicujus hominis occupatur, ſiue detinetur, per judicem uel per nuntium, qui wlgo Woldbode dicitur, Quicunque illam occupationem ſiue detentionem infregerit, quinquaginta ſolidos vadiabit, judici quadraginta, decem ſolidos Ciuitati. Item ſi quispiam gladium uel cultellum euaginauerit, uel alia quelibet, que wlgo Echge-

wapen uocantur, aduerſus aliquem extraxerit uel extenderit, et ſi Reus conuincitur tribus burgenſibus uiris bonis, eo genere armorum, quod extraxerat, manus conuicti transuerberabitur. Quam ſi redimere uoluerit, quinquaginta ſolidos uadiabit, quorum uiginti cedent judici, iniuriam paſſo uiginti, et decem ſolidi ciuitati. Item ſi, de quo ſuſpicio habetur, ſine lumine inuentus fuerit in plateis, poſtquam egreſſi ſunt uigiles ad obſeruandas vigilias ciuitatis, debet licite uſque ad preſentiam iudicis detineri. Item quicquid coram conſulibus terminatum fuerit, dummodo major et ſanior numerus Conſulum id eſſe ſibi notorium recognoſcat, firmum et ſtabile permanebit. Item ſi quis edificia ſua poſuit illicite uel injuſte, talis a Conſulibus moneatur, ut ea corrigat et reedificet recto modo, Quod ſi non fecerit infra quindenam continuam, tria talenta vadiabit, quorum duo cedent iudici et unum Ciuitati, et ſi nec tunc edificia ſua debite poſuerit, Iudici et Conſulibus poſtmodum per quindenam ſingulam predicto ordine vadiabit, donec edificia ſua directe poſita a Conſulibus dinoſcantur. Item ſi aliquo in loco ignis ciuitati formidabilis uel nociuus fuerit inuentus, et ſi hujus loci poſſeſſor monitus a Conſulibus et iuſſus, ignem infra triduum non annullat, tria talenta dabit, Judici duo, Ciuitati uero unum. Item ſi ſecundo monitus igniculum idem infra triduum non annichilauerit, amittet ſex talenta, ex his Judex quatuor accipiet, Ciuitas uero duo. Si autem is, de igne tertio monitus, infra triduum Conſules non exaudit, dare tenebitur triginta talenta denariorum, e quibus uiginti talenta debentur Judici, decem uero Ciuitati. Vt igitur hec iura, que noſtre Ciuitatis Burgenſibus contulimus obſeruanda, immutabilia perpetuis temporibus perſeuerent, hanc inde litteram conſcribi fecimus, et ſigillorum noſtrorum munimine roborari. Teſtes uero hujus ſunt uenerabilis Dominus Geuehardus, Epiſcopus Brandenburgenſis, Honorabilis miles Henricus de Vriſach, Hermannus de Carpzowe, Johannes de Crachowe, Bertoldus Aduocatus, et alii quam plures noſtri milites et vaſſalli. Datum Anno Domini M°. CC°. LXXVIII°. Nonas Februarii, In die beate Agathe uirginis et Martyris.

Nach dem Orig. des Salzw. Archives VII, 18.

XIX. Deutſche Redaction des Salzwedelſchen Stadtrechtes.

In dem Namen der hilgen eynliken dreualdigeit. De wandelinge der tiid vnde de manichualdigeit der handelinge de ſterfliken lude dechtniſſe krenken, alſe des nod is, dat er werde hülpen mit worden der tüge vnd mit tügen der breue, dat zce ſtede vaſticheid beholden mogen. Hiir umme is dyt, dat wi Otte vnde Albrecht, van der gnaden godes marcgreue to Brandenburg, willen ſtedigen de rechtigeid vnſer ſtad Soltwedel, dy der ſuluen ſtad vnde den borgern van vnſen vorteleden ſynt gegeuen. Ok wil wy na dem Rade vnſer getruwen, vnde der borgere der ſuluen ſtad ichteswelke wandelen in eyn betere vnde ok wil wy op nye en ichteswelke rechtigeid geuen. Wy don witlik allen de Jegenwardigen vnde tokomen ſynt, dat wy williken geuen vnde ewichliken lyen der vorſproken ſtad dyt recht als hiir naſcreuen ſteit.

1. Van den, de de erue kopen. Wy eyn erue koſſt to Soltwedel, vnd Jar vnde dach redeliken dar Inne blifft vnde de erfftnamen des erues in den lande ſint, de beſittent bilker, wen en ander cleger edder en anhenger vthlendich.

2. Van vrowen gerade. Van deme gerade ſchal me it alſus holden. Als en vrowe to

hochtyden der hilgen dage geit, Alſo volget it deme it van rechte bort, he wane wur he wane, vnd anders neyn ding ſchal ome volgen.

3. Van herwede. Van deme herwede holt met alſus: de wapene, dar en man ſyn liff mede beſchermet, vnd de beſten kledere, de hebbe dy, deme it van rechten horet, he wane wu he wane. Is auer eyn dochter in deme hus, de beholt dat herwede, likerwys beholt de ſone dat vrowen gerade, wan de oldere dot ſynt.

4. Van dem kynde, dat vth beraden is. Weret, dat de olderen en kynt mit ſynen willen eliken bereyden, deme kynde ſchall nügen an dem gude, dar it mede beraden is; vnde ſteruet de vader edder de moder, ſo nympt it neyn erue mit den anderen erffnemeren, behaluen an den lengude, dar de ſone lik recht to hebben, ſteruen auer die erffnamen, ſo kumpt dat erſte kynt wedder an ſyn erue.

5. Van den elderen, de al er kyndere beraden hebben. Efft de elderen alle de kyndere vor ereme dode hebben beraden, vnde dar na de olderen ein ſteruet, dy andere mach ſyn gud ſchicken, geuen vnde don, wo vnde wur he wil ane der kyndere danck vnde willen.

6. Van deme, efft de vader ſyk veranderde. Offt de vader leuendich bleue, vnde wolde enen anderen vrowen nemen, dat mach he don ane der kyndere wille, vnd ſee mogen ome das nicht vorbeiden. Were ok, dat de vorſpraken vader van der anderen eliken vrowen kyndere hedde, de leſten kyndere bliuen by des vader erue, vnd de erſten beraden kynder nicht. Hedde he auer van der leſten vrowen kene kyndere, ſo beholden de kyndere de helffte alle des gudes, dat he leite in ſynen dode. Wat hiir van dem vader is geſproken, dat ſchal me ok holden van der moder.

